




# G E O M E T R I Æ

## P R A C T I C Æ

LIBER OCTAVVS.



Varia Theoremata, ac problemata Geometrica  
demonstrans.

**V**Extremam manum Geometrie huic nostra practica imponamus, concludemus eam variis nonnullis Theorematis, atque problematibus Geometricis, tum collectis ex Geometris aliis, tum proprio, ut aiunt, Marte excogitatis, ac demonstratis. Qua in re exemplum illustre habemus in Pappo Alexandrino, qui octo totos libros conscripsit de Mathematicis collectionibus. Neque vero hoc prater institutum nostrum existimare quis debet: cum per eiusmodi demonstrationes Geometricas studioso Lectori via multiplex aperiatur ad inuestigandas similes speculationes in rebus Geometricis: quippe cum in iis ad exercendum ingenium amplissimum campum habeat. Est & alia causa, quae me ad hunc librum octauum conscribendum permouit, ne videlicet tot Theoremata, ac problemata non sine magno labore peruestigata pereant, cum ad nullam Geometrie partem magis proprie pertineant, quam ad hanc Geometriam practicam: praesertim quod pleraque eorum praxes Geometricas pertractent. Adde quod non pauci viri docti & graues ad hunc librum perscribendum auctores mihi, atque suasores fuerunt.

### THEOR. I. PROPOS. I.

FIGVRA regularis circulo circumscripta maiorem ambitum habet, quam circulus.

HÆC est prima propositio Archimedis in lib. 1. de sphaera & Cyliandro: quã demonstrat, hoc assumpto principio.

*Sidus*